A son cher ami
Mr. de Guilly, souvenir
très affectueux de
son tout dévoué
[illegible]
Livourne Avril 92

7548. In Latin, on parchment: written in 1686 at Pisa: $9\frac{1}{2} \times 6\frac{3}{4}$ in., 6 leaves: with illu minated coat of arms: in contemporary binding of morocco tooled in gold, strings wanting.

Diploma of the University of Pisa, conferring upon Onuphrio Bonfigli of Leghorn the degree of doctor of philosophy and medicine, 21 June, 1686; illuminated with the arms of the recipient; subscribed by Antonio Morrona, chancellor general of the archiepiscopal court of Pisa. The seal of the Archbishop of Pisa, formerly attached, is wanting.

Bought from J. Meynial, Paris, 16 July, 1915.

45

Licence

B



IN DEI NOMINE AMEN

FRANCISCUS ex Comitibus Ilcij Nobilis Patritius Senensis, Dei, et Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Pisarum, Insularum Sardiniæ & Corsicæ Primas, et dictæ Sedis Apostolicæ in eis Legatus Natus, necnon Pisani Almi Gymnasij Apostolica, Cæsareaque authoritate Cancellarius, eoque in infrascripto actu absente Nos Augustinus del Torto Nobilis Pisanus, I. V. D. Primitialis Ecclesiæ Pisarum Canonicus, Prothonotarius Apostolicus,

Vicarius, ac Locumtenens Geralis ab eo, ad infrascripta omnia, et singula specialiter constitutus, et deputatus. Vniuersis, & singulis præsentes nostras inspecturis salutem in Domino sempiternam; Cum inter cæteras in toto orbe terrarum uenerandas, et famosas Academias, et Clarissimorum Doctorum Vniuersitates Pisana multis ornamentis, et priuilegijs honestata maximè fulgeat, in qua etiam ad Doctoratus, et magisterij publicam, et eminentem dignitatem Pontificia, et Cæsarea authoritate sublimantur, et extolluntur illi, quos longo exercitio, labore, studio, disciplina, & ingenio summis vigilijs, omni denique conatu, et nixu spretis, et relictis uoluptatum illecebris sese doctrinæ pænitus dantes sacras, et pene Diuinas Philosophiæ, Medicinæque scientias adeptos, maximis laudibus, ac uerissimis testimonijs accuratè reperit probatissimos; & quos certamen generalis, & rigorosi examinis coram Nobis, et uenerando Philosophorum, et Medicorum Collegio per concurrentem virtutum copiam, meritorumque excellentiam ita promouet, ut doctoreis infulis, priuilegijs, prærogatiuis, honoribus, et dignitatibus ueniant decorandi; Cum itaque Egregius, ac Eruditus Vir, moribus modestus, ingenio acutissimus, doctrina præditus, et scientiarum cognitione Præclarus **Per Illustris Dñus. HONVPHRIVS Bonfigli Ciuis Liburnensis, Dñi. Ioannis Vincentij Filius**, Qui sua florente ætate in Celeberrimo Pisano Gymnasio per quinquennium assiduis exercitatus vigilijs, Sacræ Philosophiæ, Diuinæque Medicinæ sollicitam, et curiosam operam iugiter impendit, et nauauit, scholasticosque actus, arguendo, conferendo, disputando, et exercendo, dehinc fuerit legitimè coram Nobis Vicario, & Vice Cancellario præfato

præsentatus per Magnificos, & Eximios Viros in Philosophia, & Medicina Doctores Excellentissimos

Dnum. Franciscum Verzanium Bargensem,

D. Lucam de Terentijs Ariminensem,

D. Laurentium de Bellinis Florentinum,

D. Didacum Zerillium Messanensem

D. Benedictum Rosettum Foroliuensem,

D. Iosephum Zambeccarium Pontremulensem,

D. Michaelem Angelum Tillium à Castro Florentino,

D. Nicolaum Verzanium Bargensem, &

D. Franciscum Mariam Guarisci de Bibiena

Promotores suos, in eodem Pisano Almo Gymnasio publicè legentes examinandus, et approbandus in Philosophia, & Medicina, & ob hoc se subiecerit arduo, ac rigoroso examini priuato nostro, et Clarissimorum Doctorum Sacri Collegij Philosophiæ, et Medicinæ, Ciuitatis Pisanæ, in quo quidem examine dictus **Dnus. Honuphrius Bonfigli** Puncta sibi de more in Philosophia, et Medicina hesterna die, hora XII. adsignata, uidelicet, in Philos: Tex: XXIIII. 2.di Phys: Quoniam, & faciunt, &c. In Medicina uero Aphor. XXII. primæ sect: Concocta medicari, &c. Mirò ordine recitando, et argumentis acutè, & subtiliter non tam scholastico, quam doctoreo quidem more respondendo; adeò doctè, et bene se gessit, et ità, ac taliter se habuit, ut communi dicti Collegij uoto, et consensu vnanimi Nemine PENITVS PENITVS Discrepante dignissimus existimatus fuerit, ut sacræ Philosophiæ, Diuinæque Medicinæ ornamentis, gradu, et insignibus fœliciter honestaretur; Nos igitur consilio concordia, communi consensu, & vnanimi uoluntate Collegij prædicti, in sufficienti numero, collegialiter de nostro mandato congregati eundem nobilem, & Præclarum Virum **Dnum. Honuphrium**

antedictum, præuio processu, præcedente, et habita diligenti informatione de Fide Catholica, et ipsius religione, & iuramento præstito in manibus nostris, iuxta formam Bullæ per eum sectæ fælicis recordationis Pij Papæ quarti super iuramento præstando, et professione facienda sub Datum Romæ Apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDLXIV. Idibus Nouembris, Pontificatus sui anno V. Cuius professionis, et iuramenti forma nunc describitur ad uerbum scilicet, Ego **Honuphrius Bonfigli** firma fide credo, et profiteor omnia, et singula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, uidelicet, **CREDO** In unum Deum Patrem Omnipotentem Factorem Cæli, et Terræ, visibilium omnium, et inuisibilium. Et in unum Dnum. **IESVM** Christum Filium Dei unigenitum; Et ex Patre natum ante omnia sæcula; Deum de Deo lumen de lumine Deum uerum de Deo uero. Genitum non factum consubstantialem Patri per quem omnia facta sunt; Qui propter nos homines, et propter nram. salutem descendit de Cælis; Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & **Homo factus est;** Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, et sepultus est; Et resurrexit tertia die secundum scripturas, & adscendit in Cælum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum uenturus est cum gloria iudicare viuos, et mortuos, cuius Regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dnum. et viuificantem, qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre, et Filio simul adoratur, et conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et unam Sanctam Catholicam, et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum, Et Vitam uenturi sæculi Amen. Apostolicas, et Ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiæ obseruationes, et constitutiones firmissime

admitto, et amplector. Item sacram scripturam iuxta eum sensum quem tenuit, et tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de uero sensu, et interpretatione sacrarum scripturarum admitto, nec eam unquam nisi iuxta unanimem consensum Patrum accipiam, et interpretabor. Profiteor quoque septem esse uerè, & propriè sacramenta nouæ Legis à IESV Christo Domino Nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pænitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium, illaque gratiam conferre, et ex hijs Baptismum, confirmationem, et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse; Receptos quoque, et approbatos eiusdem Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum omnium sacramentorum solemni administratione recipio, et admitto. Omnia, et singula, quæ de peccato originali, et de Iustificatione in sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, et declarata fuerunt amplector, et recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo uerum, proprium, et propitiatorium Sacrificium pro uiuis, et defunctis, atque in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse uerè, realiter, et substantialiter corpus, et sanguinem una cum Anima, et Diuinitate Domini nostri IESV Christi, fierique conuersionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ uini in sanguinem, quam conuersionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum, atque integrum Christum, uerumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas Fidelium suffragijs iuuari. Similiter, et Sanctos unà cum Christo regnantes uenerandos, atque inuocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse

uenerandas. Firmiter aßero Imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, et retinendas eße, atque eis debitum honorem, ac uenerationem impartiendam. Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuiße, illarumque usum Christiano populo maximè salutarem eße adfirmo. Sanctam Catholicam, et Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem, et Magistram agnosco. Romanoque Pontifici, Beati Petri Apostolorum Principis Succeßori, ac IESU Christi Vicario ueram obedientiam spondeo, ac iuro. Cætera item omnia à sacris Canonibus, et Œcumenicis Concilijs, ac præcipuè à sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, et declarata indubitanter recipio, atque profiteor. Simulque contraria omnia, atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas, et reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reicio, et anathematizo. Hanc ueram Catholicam Fidem, extra quam nemo saluus eße potest, quā in præsenti spontè profiteor, et ueraciter teneo, eandem integram, & immaculatam usque ad extremum uitæ spiritum constantißimè Deo adiuuante) retinere, et confiteri, atque à meis subditis seu illis, quorum cūra ad me in munere meo spectabit teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit curaturum, ego idem Honuphrius spondeo, uoueo, ac iuro, sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia. Ac etiam iuramento præstito in manibus nostris de obseruanda Constitutione fælicis recordationis Beati Pij Papæ Quinti per Dominos Medicos obseruandæ sub Datum Romæ Apud Sanctum Petrum sub Anulo Piscatoris Die VIII. Martij 1566., Pontificatus sui Anno p̄mo. Et super Cathedram constitutum in nostri, et aliorum præsentia diligenter examinatum Catholicum, & Religiosum repertum simul, et approbatum diximus, pronunciauimus, et declarauimus sufficientißimum, doctißimum, et meritißimum ad habendum, consequendum, &

obtinendum licentiam, publicum gradum, et solita Doctoratus Insignia, in Philos: & Medic. facultatibus suprascriptis, illique tunc authoritate superius plenissimè demandata, qua in hac parte fungimur, uti meritissimo Philosophiæ, & Medicinæ Doctori in eisdem legendi, docendi, glossandi, disputandi, consulendi, interpretandi, examinandi, adiudicandi, Cathedram Magistralem, ac Doctoralem adscendendi, illamque regendi, cæterosque doctoreos actus, et Magistrales Pisis, et ubique locorum, ac terrarum publicè exercendi, plenam, liberam, ac omnimodam potestatem licentiam, et facultatem cedimus, damus, et concedimus per has nostras ipsum Nobilem, & Præclarum Virum **Dnum. Honuphrium Bonfigli** pronunciantes, adfirmantes, et declarantes Philosophiæ, & Medicinæ Excellentissimum esse Doctorem. Receptis postremo per eu. ab eodem Excellmo Philos: & Medic. Doctore **Dno. Francisco Verzanio** Compromotore suo suprascripto, ac aliorum suorum Compromotorum nomine ipsarum facultatum, et gradus solitis Doctoratus Insignibus, Libro scilicet clauso mox aperto, Biretoque vice Laureæ eius capiti imposito, ac demum Anuli aurei subarrhatione cum osculo pacis paternalibus, magistalibusque benedictionibus. Qui omnibus sic publicè insignitus, et coronatus fælici coronetur in patria peruiuentem in sæcula. In quorum omnium, et singulorum fidem robur, ac testimonium præmissorum præsens hoc publicum Instrumentum authenticum in se continens Priuilegium per Excellentissimum Dnum Antonium Morrona I.V.D. Nobilem Ciuem Pisanum, & Archiepiscopalis Pisanæ Curiæ Cancellarium Generalem infrascriptum rogari, ac subscribi iussimus, Sigillique eiusdem Illmi & Rmi Pisani Archiepiscopi appensᵒ.

muniri. DATVM Pisis in Palatio Archiepiscopali coram, & præsentibus ibidem Dñis. I. V. Doctoribus Michaele Angelo de Frosinis, et Ioanne de Ciantis Ciuibus Pisanis, & quam plurimis alijs testibus ad prædicta uocatis, habitis, atque rogatis. Anno ab Incarnatione Domini Nostri Iesu Christi MDCLXXXVII. Stylo Pisano, Indict.ne X.ª, Romano uerò atqz. Florentino MDCLXXXVI. Die uero XXI. Mensis Iunij; Innocentio XI. Summo Pontifice, anno X. Sui Pontificatus; Regnante Inuictissimo Leopoldo, Dei grã. Romanorum Imperatore Electo, et Ser.mo Cosmo Tertio Magno Etruriæ Duce VI. Dominante, summè fælicissimo, & Inclyto pacis Moderatore &c.

Ant.s Morrona I. V. D. Can.s Gen.lis Archiep.
Pis.s ap.s manu ... in fid.

Nos Joseph Marcobruni Artium et Medicinæ Doctor Almi Collegij DD. Physicorum Venetiarum Prior vidimus et Aprobamus

Nos Andreas Pasqualig. Consil.s vi.s et approbamus -

Nos Franciscus Delphinus Consiliarius vidimus, et approbamus.

1693: 17. decembre
Gl'Ill.mi et Ecc.mi SS.ri Prov.ri alla Sanità concedono il presente Privilleggio hanno il med.o licenz.

Francesco Loredan Pr.
Paolo Zen Pr.
Pietro Valier Vittori Pr.

6 (ult)

~~je crois que c'est un~~
~~titre de livre~~